

SUMMA IURIS

S. RAYMUNDI DE PENYAFORT (*)

Operae pretium est materiam huius voluminis breviter enucleare. Auctor in praefatione commemorat, quod cel. FR. VON SCHULTE inter primos fuit, qui Summae iuris S. Raymundi de Penyafort notitiam publici iuris fecit in "Geschichte der Quellen und Literatur des canonischen Rechts". Stuttgart, 1877, II, págs. 410-11. Paulo post historiae Universitatum meritissimus auctor, P. HENRICUS DENIFLE, O. P., praedictam Summam inter opera S. Raymundi recensuit in *Die Entstehung der Universitäten des Mittelalters bis 1400*, Berolinii, 1885, vol. I, pág. 15, nota 76. Deinde notatur quod Patres BALME, PABAN et COLLOMB, qui "Raymundiana" ediderunt, sibi proposuerant editionem totius textus dictae Summae; sed agitur de proposito numquam in praxim deducto. Eandem sortem sortitus est FR. JOSEPHUS M. GARGANTA, O. P.; ipse occasione septimi centenarii Decretalium intenderat Summam laudatam publici iuris faciendam; sed aliis negotiis occupatus hanc curam tradidit amico suo, qui in Praefatione bene notat: "ante nostrae tempestatis eventum vix dicere possumus, an nostra Summa cognita fuerit necne". Ratio dubitandi ex eo provenit, quod iisdem divi Raymundi operibus diversa nomina assignantur.

Deinde auctor transit ad describendum Codicem Borghesianum 261, in quo ff. 91-102 Summa iuris invenitur; finis tamen desideratur.

* * *

Auctorem huius Summae esse b. Raymundum Rius probat tum ex Prologo, in quo habetur verba: Raymundus catalanus, tum ex argumento intrinseco; tempus redactionis attribuitur a. 1219 vel 1220, durante magisterio B. Raymundi in Universitate Bononiensi. In Conclusionem Rius notandum censet: "percurrendo textum non potuimus non mirari de claritate a s. auctore adhibita in sua expositione, et de methodo, quae hodie diceretur moderna; nam singulis quaestionibus adicere probationes ex tot

(*) Josephus Rius et Serra, Antistes Urbanus et Officialis S. R. C. publicanda suscepto omnia opera S. Raymundi de Penyafort; primum volumen, cui titulus: "Summa iuris", editum fuit Barchinonae a. 1945.

tantisque fontibus haustas facile videretur mediante adiutorio notarum, quae schedulae appellantur, sed sic operam dare initio saec. XIII, oportet certo concludere vel b. Raymundum memoria insigni ornatum fuisse, vel ipsum methodum excogitasse parem vel aequalem methodo nostra aetate vigenti; quo in casu pauca dici possunt in laudem progressus scientiae technicae, qui videtur esse nostrorum temporum triumphus”.

In Prohemio indicatur a b. Raymundo ratio conficiendi operis: “frequens instantia et ignita caritas sociorum, nexibus aureis indissolubiliter vinculata, meum diu pulsarunt animum, ut quasi pignus amoris aliquod mei laboris memoriale relinquerem, eis et posteris profuturum”. Ideo “ego Raymundus, catalanus, professor iuris canonici, opus supra vires aggredior, per quod in profundo pelago iuris canonici agnus cum agnis peditare et natare valeant elephantes”. Opus distinguit “septem particulas propter sancti Spiritus gratiam septiformem. In prima particula ponuntur variae species et differentiae iuris. In II^a agitur de ministris canonum, differentiis et officiis eorundem. In III^a de ordine iuditiario. In IV^a de contractibus et rebus tam ecclesiarum quam clericorum. In V^a de criminibus et penis. In VI^a de Sacramentis. In VII^a de processione Spiritus Sancti”. Deinde Raymundus allegat modum procedendi. Sed notandum, quod partes III-VII desiderantur in Codice.

* * *

Prima pars continet duodecim articulos, quorum primus agit de iure naturali habente quinque acceptiones; in sequentibus duobus articulis definit Ius gentium et ius civile; huius autem iuris species multae sunt et hoc ius dicitur quinque modis. De origine iuris disserit articulus quartus allegans sequentes origines: “ius naturale cepit ab exordio rationalis creaturae; ius constitutionis ecclesiasticae cepit a iustificationibus, quas Dominus tradidit Moysi; canones conciliorum inceperunt a temporibus Constantini; seculares constitutiones a diversis et diverso tempore ceperunt; ius consuetudinis capit post legem naturalem, ex quo homines convenientes in unum, simul habitare ceperunt, quod ex eo tempore factum creditur, ex quo Cayn civitatem edificasse legitur.

In quinto articulo de Constitutionibus Raymundus respondet ad sequentes quaestiones: quid sit constitutio; quis possit constituere; quae causa faciendi constitutionem; quod eius officium; quae cui praeiudicet. “Officium constitutionis quadruplex est, unde versus: quattuor ex verbis virtutem collige legis: permittit, punit, imperat atque vetat.” Deinde pergit: “quidam addunt quintum officium, sc. consulit; sed dic, quod consilium continetur

sub permissione. Est enim *permissio triplex*: prima secundum quam permittitur, quod nullo iure prohibetur ut contrahere sacras nuptias; sub hac continetur consilium. Secunda, quando contra constitutiones humanas aliquid indulgetur, ut contrahere in gradu prohibito; haec dicitur proprie vera et absoluta *permissio*; et excusat a peccato. Tertia *permissio* est cum minora mala permittuntur, ut maiora vitentur. Haec dicitur *permissio comparativa*, et non excusat a peccato. Propius tamen appellaretur *tollerantia* quam *permissio*. De hac dicit canon quod *ea*, quae permittimus, non approbamus. De hac etiam dicit Decretalis: "Multa per patientiam toleramus, quae, si deducta essent in iudicium, exigente iustitia cassaremus". Tandem tangitur quaestio: quid sentiendum, si constitutiones diversas inveniuntur super eodem facto? Auctor respondet cum pluribus distinctionibus notatque: "quod constitutio ecclesiastica variis nominibus appellatur: quandoque canon, quandoque decretum, quandoque *decretalis* epistola. Canon dicitur id, quod constituitur in concilio universali. Decretum, quod Papa statuit de consilio cardinalium ad nullius consultationes. *Decretalis* epistola quam papa vel solus, vel cum cardinalibus ad consultationem alicuius concedit". Pro Raymundo in articulo sexto de Conciliis existunt tres species conciliorum: universale, provinciale, episcopale.

Fusius tractatur art. septimus de rescriptis et eorum interpretationibus: respondetur ad quinque quaestiones: quid sit *rescriptum*; quis potest facere tale *rescriptum*, quod vim habeat constitutionis et quando *rescriptum* habeat vim constitutionis, et de interpretatione *rescriptorum* et quod cui *praeiudicet*. Circa interpretationem distinguit quattuor modos: una est generalis, necessaria, et in scriptis redigenda: interpretatio principis; alia generalis et necessaria, sed non in scriptis redigenda: consuetudo; alia necessaria et in scriptis redigenda, sed non generalis: iudicis; alia nec generalis nec necessaria nec in scriptis redigenda: doctoris; "quae licet non sit necessaria, iuxta illud: nullis addictus iurare in verba magistri; tamen non est contempnenda". Deinde tractatur quaestio: quid faciendum, "cum diversa *rescripta* optenta sunt super eodem facto".

Amplior adhuc est tractatus de privilegiis in articulo octavo, ubi deseritur de sequentibus punctis: quid sit *privilegium*; unde dicatur; quae sint species *privilegiorum*; cui *praeiudicet* *privilegium*; quis possit dare *privilegium*; quibus de causis *privilegia* mutantur vel amittantur; et quae sit differentia inter *privilegium* et confirmationem. Raymundus definit *privilegium*: "*beneficium contra ius commune indultum*", addendo: "*superfluum est privilegio impetrare, quod iure communi competit*". Idem distin-

guit duas species privilegiorum: "aliud est generale, aliud speciale"; quod subdividitur in reale et personale; in dubio privilegia praesumuntur realia, donec contrarium probetur. Aliud privilegium est in lucro captando, aliud in dampno vitando. Ad dubium, agitatum a doctis, utrum solus papa vel imperator possit concedere privilegium in praeiudicium et gravamen alterius, Raymundus respondit: "credo verius, quod etiam in praeiudicium alterius potest episcopus concedere privilegium". Insuper tractatur quaestio: quid iuris, si plura privilegia concurrunt? Notanda sunt verba circa differentiam inter confirmationem et privilegium. Raymundus concludit hunc articulum scribendo: "in privilegio strictissimo utimur iure, sicut in ceteris odiosis, ut eatenus eis pareatur, quatenus in eis invenitur expressum".

Tractatum de privilegiis sequitur art. nonus de consuetudine, seu de iure non scripto. Primo inquiritur in definitionem et ethymologiam; deinde evolvuntur diversae eiusdem species; deinde quaeritur, quem locum habeat in causis et quaenam consuetudo legi vel constitutioni praeiudicet; tandem quaenam duarum consuetudinum contrariarum praevaleat. Inter alias tangit etiam hanc quaestionem: quam consuetudinem sequi debeat iudex delegatus: utrum loci, in quo causa tractatur, an litigantium, et cuius, an delegantis, an suam propriam. Tandem statuit axioma: "consuetudo dat privilegium et iurisdictionem".

In art. decimo allegatur differentia iuris naturalis ad alia iura et ponitur principium: ius naturale differt ab aliis iuribus tempore, dignitate, amplitudine, et sententiae rigore. Memoranda est Raymundi doctrina circa casum perplexum, quem male solvit Gratianus; casus hic est: aliquis est constitutus inter duo peccata, ita quod necesse habet alterum committere, sicut contingit in illo, qui iuravit se interfectorum hominem; si occidit, homicida est; si non occidit, periurus est; et ita est perplexus inter duo mala. Unde in casu isto rigor sententiae iuris naturalis, etiam quoad praeccepta et prohibitiones recipit dispensationem, ut scilicet perplexus eligat illud peccatum, quod minus est. Raymundus solvit difficultatem sequenti modo: "si aliquis iuravit se facturum aliquod peccatum mortale vel veniale, non debet servare iuramentum, quia iuramentum non est inventum, ut sit vinculum iniquitatis mortalis aut venialis". Tandem habetur axioma: "non debet aliquis minus malum committere, ut alius evitet maius".

Differentia Constitutionis ecclesiasticae ad secularem tractatur in art. undecimo. Mentione sunt digna verba: "unde leges, quae permittunt usuras, vel matrimonia seu repudium, vel similia contra canones non tenet etiam leges, quae permittunt praescriptionem cum mala fide"; item: "om-

nis homo pertinet ad iudicium ecclesiasticum ratione peccati"; ventilatur etiam quaestio de potestate immediata aut media Imperatoris. Raymundus assentit illis, qui dicunt mediate: Papa enim habet a Domino utrumque gladium et alterius, scilicet temporalis executionem concedit Imperatori. Hoc fuit significatum in Petro, cum dixit: "Ecce duo gladii hic." Insuper disputatur de quaestione: "utrum sint plures imperatores, aut unus, et si unus, quis ille, utrum Teutonicus an Constantinopolitanus. Ad hoc dicaes, quod unus est imperator tantum"; Raymundus asserit: "Romana ecclesia transtulit imperium ab oriente in germanos." Tandem enumerat illos, qui exempti sunt a tributo solvendo Imperatori, sc. galli, narbonenses, barchihnonenses et quidam alii. Item non subsunt ei rex Francie neque reges Hispanie, quia praescripserunt longissimo tempore.

Tandem in art. duodecimo evolvitur doctrina de iuris et facti ignorantia. Ab axiomate: iuris ignorantia non excusat, excipit milites, rusticos, minores et mulieres. Inter milites enumerat etiam clericos, utpote milites Christi.

Secunda pars est multo longior, complectens plus quam centum paginas; articuli qui tractantur, sunt triginta et novem. Materiam huius partis Raymundus sic explicat: "in prima parte huius operis tractatum est de variis speciebus iuris, sed quia parum est iura esse in civitate, nisi sint ministri, per quos regantur, videndum est, quid sint ministri canonum, in quibus locis debent collocari, et quae sit differentia inter eos".

In art. sexto de continentia clericorum haec notantur: "si enim esset consuetudo alicuius ecclesiae, ut clerici in minoribus ordinibus non contraherent, servanda esset talis consuetudo, adeo etiam, ut dicunt quidam, quod si contraherent, matrimonium non teneret; nam ratione consuetudinis fit inhabilis ad contrahendum, qui alias esset habilis... Posset tamen dici, quod non obstante consuetudine, teneret matrimonium cum talibus". Abundanter tractat etiam quaestionem de cohabitatione clericorum et mulierum.

In articulo de sobrietate ordinandorum citantur verba: "prohibentur ergo clerici a superfluitate vini; non quia vinum malum sit, immo bonum et creatura Dei, sed quia frequenter ex eo sequitur ebrietas. Ebrietas autem est fomes ac nutrix omnium vitiorum". Deinde: "in convivio sacerdotali vel clericali debent quattuor vel quinque observari: videlicet, ut vita absentium non mordeatur, ut praesentes non irrideantur, non recitentur ibi inanes fabulae saecularium negociorum, legantur ibi et audiantur verba sacrae lectionis, ut non sumatur cibus nisi ad naturae sustentationem. Adde

duo: unum: ut non comedant ante horam diei tertiam in diebus communibus, in quadragesima post nonam, audita missa et vespertinis officiis; similiter alium ut semper in principio et in fine Hymnum, id est laudem et gratiam Deo referant.

Vere splendida axiomata de vita clericorum Raymundus proponit in tractatu de ornatu ordinandorum: habetur evoluta doctrina de dandis elemosynis. Item in articulo "de cupidis non ordinandis", quorum mens excaecata cupiditate "semper videt aurum, redditus computat, gratius intuetur aurum quam solem" proponatur et per longum evoluitur quaestio: "utrum clericis vel aliis ecclesiasticis personis liceat negotiationes exercere". Difficultatem, utrum is, qui erga alium obligationem iuridicam contraxit, possit ingredi in religionem, sic solvit: potest intrare, non obstante tali obligatione vel iuramento, nec facit iniuriam illi, cui erat obligatus, "*quia instinctu Spiritus Sancti facit*".

In articulo 28 fuse proponitur quaestio de competentia conferendi ordines. Inter alia haec habentur: "item abbates et corepiscopi possunt conferre tres minores ordines, scilicet psalmistatum, hostiariatum et lectoratum. Item presbyter potest conferre psalmistatum. Circa numerum ordinum Raymundus in articulo de interstitiis haec asserit: novem sunt ordines: quinque minores, sive non sacri et quattuor maiores, sive sacri. Minores sunt: psalmistatus, hostiarius, lectoratus, exorcistatus et acolitatus; maiores sunt: subdiaconatus, diaconatus, presbiteratus et episcopatus; et hoc secundum sententiam illorum, qui dicunt psalmistatum et episcopatum esse ordines, quam credo veram. Quidam tamen dicunt septem ordines esse tantum, et illi negant psalmistatum et episcopatum esse ordines. Circa interstitia Raymundus etiam consuetudini multum tribuit. Insuper habetur tractatus de postulatione et electione qui est attentione dignus; item de renuntiatione.

Rius addidit tertiam partem de quaestionibus iuris notando: "nos aliquas tantum quaestiones selegimus edendas in hac b. Raymundi Summa iuris, quia probabiliter non sunt inter opera nostri beati enumeranda". In timas gratias et laudes editori huius Summae.

D. G. OESTERLE, O. S. B.